

architriclino. Et tulerunt, secundum eius imperium, scilicet ideo ad ipsum praecepit ferri, quia nuptiis praeerat et iudicabat de huiusmodi architriclinus. Trichinium, id est, tres ordines disceumbentium, altitudine distantes; inde architriclinus, quia praeerat convivio ordinis trium mensarum; vel architriclinus, princeps trium camerarum; vel generaliter, qui praeest servientibus, ut dicit Chrysostomus. Ad hunc praecepit ferri, ut de vino iudicaret; propter quod dicit:

793 *U autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, id est vinum factum ex aqua; et non sciebat, unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam; vocat sponsum architriclinus, ut scilicet ipsum redarguat et vinum commendat et extollat.*

794 *Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit; primum, id est in principio; et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, quia tunc non valent diiudicare, sed omne vinum dicunt bonum. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc; id est usque ad finem, et ita inordinate et contra morem fecisti. Malus mos erat iste, quia contra veritatem et contra sobrietatem; unde ad Ephesios quinto: "Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes" etc.*

795 *Hoc initium signorum. Tangitur hic quintum, scilicet divinae gloriae manifestatio et fidei discipulorum aedificatio. Ratione manifestationis suae dicit: Hoc initium signorum fecit Iesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam; Glossa: "Id est latentem Divinitatem"; infra decimo quarto: "Ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum". — Ratione aedificationis discipulorum dicit: Et crediderunt in eum discipuli eius, id est, firmius crediderunt. Beda: "Di-*

scumbente Domino ad nuptias, vinum defecit, ut, vino meliori per ipsum mirabili ordine facto, manifestaretur in illo latentis gloria Dei, et credentium in eum fides aucta proficeret."

*Allegorice: Triplex est dies secundum triplex tempus, naturae scilicet, Legis et gratiae. In hoc tertio nuptiae factae sunt inter Christum et Ecclesiam in carnis assumptione, de quibus Matthaei vigesimo secundo: Simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. In his nuptiis sex hydrae aquae insipidae et sine nutrimento conversae sunt in vinum sapidum et iucundum: quia umbra Legis in veritatem; ad Hebraeos decimo: Umbram habens Lex futurorum bonorum, etc. Varietas sacrificiorum in unitatem; ad Hebraeos decimo: Omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias, quae nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, etc. — Asperitas poenarum in levitatem; Actuum decimo quinto: Quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum? etc. — Aenigmata in lucem; secundae ad Corinthios tertio: Usque in hodiernum diem velamen est positum super cor eorum, nos autem, revelata facie gloriam Domini speculantes, etc. — Terrores in amorem; ad Romanos octavo: Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, etc. — Promissiones in adeptionem; Lucae primo in canticum Zachariae: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae. — Et haec facta sunt ad preces Virginis, ipsa intercedente; Lucae primo: Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum.*

*Moraliter: Nuptiae istae sunt Dei et animae in ipsa reconciliatione animae ad Deum, de quibus Osee secundo: Spon-*

sabo te mihi in fide, et scies, quia ego Dominus. — Ad has nuptias faciendas venit Dominus Iesus, sed invitatus; Apocalypsis tertio: Ecce, sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum et coenabo cum illo. — Vinum in his nuptiis defecit; hoc vinum est interna devotio, de quo in Psalmo: Vinum laetificat cor hominis; et Matthaei nono: Nemo mittit vinum novum in utres veteres. Illud vinum defecit, cum homo efficitur aridus et indevotus, sicut dicit anima sancta in Psalmo: Anima mea sicut terra sine aqua tibi. — Sed ad preces Virginis, quae compatitur miseris, Deus implet hydrias aqua compunctionis, quae convertitur in dulcedinem devotionis; unde Exodi decimo quinto dicitur, quod aquae Marath in dulcedinem conversae sunt.

798 *Nota igitur, quod hydra, in qua hauritur aqua, est consideratio; hydra vacua est consideratio defectus et vacuitatis, quam incurrit homo per peccatum. Ista hydra impletur aqua, cum homo ex consideratione tali lacrymis perfunditur. — Est igitur prima hydra consideratio defectus cognitionis; Tobiae quinto: Quale mihi gaudium esse potest, qui in tenebris sedeo et lumen coeli non video? — Secunda hydra, consideratio defectus circumspeditionis circa hostem; secundae ad Corinthios undecimo: Timeo autem, ne, sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate, quae est in Christo. — Tertia est consideratio defectus internae consolationis; Ieremiae secundo: Vide, quam malum et amarum est, te reliquisse Dominum Deum tuum. — Quarta est consideratio defectus virtutis ad resistendum; Psalmus: Dereliquit me virtus mea et lumen oculorum, et ipsum non est mecum. — Quinta est consideratio de-*

fectus stabilitatis ad permanendum; Genesis octavo: Sensus et cogitatio hominis in malum prona sunt ab adolescentia sua. — Sexta est consideratio defectus securitatis ad expectandum; Ecclesiastis nono: Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.

Tunc implentur istae hydrae usque ad summum aqua, quando anima poenitens lavat per singulas noctes ex his considerationibus lectum suum. Et ex aqua vinum fit optimum devotionis, de quo Zachariae nono: Quid bonum, et quid pulchrum eius nisi frumentum electorum et vinum germinans virginis? In hoc convertitur aqua compunctionis; unde sancta anima in Psalmo: Convertisti plangentium meum in gaudium mihi.

Incidit hic quaestio inter expositores. 800

QAEST. I. Primo de tempore nuptiarum; dicitur enim a quibusdam, quod factae fuerunt eodem die, quo Dominus baptizatus. Sed quomodo potest hoc stare, cum dicatur, quod die tertio factae sunt, postquam Dominus venit de Iudaea? 801

Respondent, quod eodem die, anno revoluto. — Sed tunc repugnat sequens littera; dicitur enim infra eodem, quod descendit Capharnaum, et quod non mansit ibi diu, quia erat proximum Pascha: ergo nuptiae istae factae fuerunt prope Pascha, non ergo in Epiphania. — Quod si conceditur, in contrarium est mos Ecclesiae, quia Ecclesia eodem die tria festa celebrat. 802

RESPONDEO: Dicendum, quod, sicut dictum est, hic sunt diversae opiniones, et utraque probabilis et sustineri potest. Si enim velimus sustinere, quod factum fuerit hoc miraculum post baptismum Domini et reditum eius de deserto et adventum in Galilaeam; dicemus, quod fuit prope Pascha. — Nec obstat mos Ecclesiae, quia Ecclesia simul ista tria

celebrat de stella et columba et vino mutato, quia Dominus in his tribus primo innouit; vel quia aquae mutatio significat vim regenerativam aquis collatam, Domino baptizato. — Si autem velimus sustinere aliam opinionem, respondendum, quod cum dicitur, quod *post haec descendit Capharnaum*, intelligendum, quod non statim *post haec*; sed aliquanto tempore interposito, ita quod Pascha appropinquabat.

804 **QUAEST. II.** Quaestio est de eo cuius fuerunt nuptiae. — Et quod fuerunt *Ioannis*, dicitur in Prologo supra, et Augustinus dixit in Glossa similiter super principium. — Sed *contra* hoc opponit Victor: "Cum virginitas sit perpetuae incorruptionis meditatio, non est credendum, quod Ioannes, cui testimonium de virginitate perhibetur, unquam consenserit in actum carnis."

805 Respondendum ad hoc, quod quia maior auctoritas in hoc concurrat, tendendum, quod fuerunt Ioannis. Et huius signum potest haberi ex littera: quia Ioannes erat consanguineus Domini, et ob hanc causam ipse et Mater eius ad nuptias sunt vocati.

806 Quod ergo obiicit Victor, dupliciter solvitur: uno modo, quod non consenserit in carnis actum sive copulam carnalem absolute; sed, sicut Maria Virgo, dispositioni sancti Spiritus se commisit, ut sic virgo, qui erat Virginem servaturus, in modo virginitatis cum Virgine conveniret. — Aliter respondetur, quod esto, quod consenserit absolute, *virtus* non est minuta, quia licite consensit; similiter *dignitas virginitatis*, quia, cum virginitas dicat incorruptionem mentis et carnis, potest tripliciter periri: aut perditur incorruptio *utriusque*, et tunc perditur aeternaliter et temporaliter; aut perditur incorruptio *mentis tantum*, et tunc perditur recuperabiliter; aut

incorruptio *corporis tantum*, et tunc perditur temporaliter, sed non aeternaliter, quia gloria virginitatis habebit; sed tamen, sicut dicit Leo Papa, non debent tales inter sacras virgines se computare. Quia igitur Ioannes carne mansit incorruptus, etsi mens consentiret, postmodum in idem rediit.

**QUAEST. III.** Quaeritur de hoc, quod Dominus voluit ire ad nuptias. — Et videtur, quod non debuerit. Si enim locus nuptiarum est locus comessionationis; et ipse Dominus omnem comessionationem debuit fugere: ergo nec illuc ire.

**RESPONDEO:** Dicendum, quod ivit, ut *fidem* astrueret et *haeresim* extirparet. *Fidem* discipulorum vocatorum firmavit per miraculum, fidem etiam sponsi adeptus est. *Haeresim* extirpavit, scilicet Iuliani, qui nuptias damnat. Quo contra Dominus voluit esse praesens et nuptias firmare et approbare miraculo. Si vero Dominus vocatus ire recusasset, tunc videretur haeresi illi favisse et nuptias damnassee.

**QUAEST. IV.** Quaeritur de responsione Domini ad Matrem: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.*

Aut enim divina Virgo petebat *petendum*, aut *non petendum*. Si petebat *petendum*: ergo non debuit ei ita acriter respondere. Si petebat *non petendum*: ergo petentem non debuit exaudire.

Item, quid est quod dicit: *Nondum venit hora?* Aut enim *venit*, et ita falsum dicit; aut *non venit*, et ita male facit, quod ante horam facit.

Item, ex hoc arguunt haereticis, quod Dominus fuit subiectus fato et astris.

**RESPONDEO:** Dicendum, quod Domini responsio non fuit *insultatoria*, sed *instructoria*. Ostendit enim, quia ratione Matri petenti satisfaciatur. Unde in petitione tria considerantur: *petens*, et haec est Mater Domini; *pro quibus* petit, quia

pro consanguineis pauperibus; *quid* petit, quia miraculum. Dominus ostendit in responsione, quod hoc non debebat petere *matrem*; quia non ex natura ab ipsa tracta hoc poterat, ideo dicit ei *mulier*, non dicit *mater*. Non debebat petere pro *consanguineis*, tamquam curam habens parentum carnalium; ideo dicit: *Quid mihi et tibi est?* Ostendit, quod miraculum non est faciendum propter indigentiam, sed ad manifestandam suam gloriam, cuius manifestandae nondum erat necessitas; ideo dicit: *Nondum venit hora mea*. Quia tamen petens mulier sancta erat; quia illi, pro quibus petebat, *pauperes* erant; quia discipulis *gloria* manifestanda erat: ideo exaudit eam.

814 Quod obiicit de hora, intelligendum, nondum venerat hora perfectae manifestationis, qualis fuit circa mortem: de hora, dicit Augustinus, non qua cogitur mori, sed qua dignaretur occidi; unde infra decimo: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et nemo eam tollit a me.*

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.  
(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 36-37).

XXXVI.

815 **D**IFFICILEM vero est tempus illud constituere quo Magi venerunt ab oriente, et definire, utrum sexta Ianuarii die infantem Iesum adoraverint. Communis sententia est tredecim post Christi Nativitatem diebus Bethlehemi eos venisse, ideoque sexta Ianuarii die vidisse Dominum Iesum. Videantur D. Thom., 3 par., q. 36, ar. 6; Canus, lib. 11 de Loc. Theolog., cap. 5, § De quarto igitur argumento; Baronius, ad ann. Christ., 1, num. 31; Suarez 3 par., tom. 2, qu. 36, art. 8, dis. 14, sect. 4; Theophilus Raynaudus tom. 7, in Opere quod inscribitur, *Diphyca Mariam*, pag. 97; Gravesonus de Mysteriis et annis Christi, dissert. 8, pag. 174 et seq.; Honoratus a S. Maria, tom. 2, de Criticis regulis, lib. 3, dissert. 4, art. 3; Card. Gottus, par. 1, tom. 4, de verit. Relig. Christianae, cap. 11, § 4, num. 27 et seq.; Sandinus, Histor. Sacrae Familiae

de Christo Domino, pag. 34, et seq., edit. Patavinac; Ayala in Opere quod inscribitur, *Pictor Christianus*, lib. 3, cap. 3, num. 1.

816 Alii vero aliam sunt sequuti sententiam. Calmetus in Cap. 2 Matth., contendit, Magos, mense post Christi Natalem diem exacto, Bethlehemi venisse. Dupinius, tom. 1 Histor. Eccles., Ianuario exeunte. Toinardus, in Harmonia Evangelica, Kaleendis Februarii. Tillemontius, Nota 9 ad vitam Iesu Christi, et Bailletus in Vitae Sanctorum ad diem 6 Ianuarii post Purificationem B. Mariae Virginis, id est post quadraginta dies a Christo nato. Serry, exerc. 35, n. 6, eorum tuetur sententiam, qui putant Magos venisse vigesima sexta, vel vigesima septima Ianuarii die. Florentinius, exercit. 3, de Magis, quam Notis Martyrologii sui inseruit pag. 234, contendit anno, seu etiam pluribus annis post nativitatem Iesu Christi Magos ad eius inenabula pervenisse. Laurentius Benedictus Triebel in Dissertatione *De Magis post Iesum in Templo representatum adveniensibus* in saepe citato Thesoro Dissertationum in Novum Testamentum, tom. 2, postquam ea de re fuse prolixèque disseruit, Magos advenisse concludit post annum tresque hebdomadas a Christi nativitate; id tamen negat se tamquam certum proponere: *Hanc temporum determinationem, quamquam aliis ut certam, minime venditamus, cum nec Sacra pagina, nec profanus aliquis scriptor, certi quid determinet.*

817 XXXVII. Nos vero, qui a communi sententia minime recedendum esse existimamus, dicimus Magos Bethlehemi venisse, et Christum Dominum adorasse tredecim post diebus a Natali die, ideoque sexta Ianuarii. Nec quidquam aliud causae nobis esse palam profitemur, quamobrem hanc amplectamur sententiam, quam quod Occidentalis Ecclesia nullo non tempore Mysterium adorationis Magorum sexta Ianuarii die constantissime celebraverit. Tillemontius not. 9, de qua supra, argumentum illud acerrime improbat, quo ex die alicuius rei gesta celebratur commemorato, arguit quispiam eodem illo die rem illam contigisse. Nec nobis memoria excidit dudum nos docuisse, aquam non eadem sexta die in vinum esse conversam qua miraculum illud continetur cum Christi Baptismo, et Magorum adoratione celebramus. Eam tamen Tillemontii doctrinam explodimus, ubi agatur de praecipuis maximisque Vitae Iesu Christi Mysteriis: nam in Nativitate, Circumcisione, et Presentatione celebrandis cum iis diebus probe congruimus, quibus haec gesta esse certo scimus. Et rursus eam doctrinam libenter amplectimur, cum rei gestae in ordine temporum certa sedes tribui nullo pacto potest; ut in Festo Sanctorum

Innocentium, quorum caedem non unius tantum, sed plurium dierum spatio perpetratam oportuit. Verum si cui videamur ad hunc modum oblique tantum respondisse, in promptu est etiam qui directe respondeamus: argumentum scilicet, quo ex die Festi consequi dicimus rem, cuius memoria colitur, eodem die gestam esse, tum esse nullius roboris, ac plane infirmum, cum graves et validae afferantur rationes, quamobrem negare possumus, eam rem eodem die, quo celebratur Festum, contigisse: tunc enim, fateamur necesse est, Ecclesiam diem potius statuisse, quo memoriam Mysteriorum illius coleremus, quam, quo res ipsa contigerit, indicasse; cuiusmodi exemplum praesto est in celebritate miraculi aquae in vinum conversae. Ubi vero nulla gravis et valida ratio sit, cur diem, quo Mysteriorum contigerit, ab eo, quo Festum illius celebratur, sciungamus, argumentum illud firmum, et magni momenti esse existimamus: nihil enim aliud causae fuisse putandum est, cur Ecclesia Mysteriorum celebrando certum constituerit diem, quam quod eodem die rem ipsam noverit contigisse. Atque hanc omnem doctrinam, contrariam licet opinionum fautor, probat Florentinus, loc. cit., pag. 234 in fin., et Honoratus a S. Maria non modo amplectitur, sed strenue etiam tuetur.

## FERIA QUINTA

Homilia S. Thomae a Villanova Episcopi.  
IN DOM. II. POST EPIPH., CONCIO.

818

**T**RIPLEX est Connubium: Christi cum carne in die Nativitatis, Christi et Ecclesiae in octava Epiphaniae, Christi et animae, de quo hodie. *Erat Mater Iesu ibi*. Sponsus Agnus, Sponsa Columba. Invitata *erat Mater Iesu ibi*. Si tristis consolatur, *erat Mater Iesu ibi*: si iustus laetatur, *erat Mater Iesu ibi*: si peccator erigitur, *erat Mater Iesu ibi*: denique, quidquid humano generi tribuitur, non sine illa datur, ut ait Bernardus. Sed non est otiosa. Quid ait? *Fili, vinum non habent*. Haec eius vox continua pro peccatoribus coram Filio suo: *Fili, vinum gratiae, devotionis, charitatis non habent*. *Quid mihi, et tibi est mulier?* Quid eis debuimus facere, et non fecimus? Non

culpa nostra est, etc. *Quid mihi, et tibi?* Tu super choros Angelorum. Quid tibi? O Fili, Mater illorum sum, advocata peccatorum; non possum eos oblivisci. Audite peccatores: Implete hydrias animas aqua orationis, meditationis: licet frigida sit, ecce virtus eius, aquam convertet in forte vinum fervoris, et devotionis, quod lagunculas novas dirumpet, ut profluant in laudes omnimodas, et effundantur in glorificationem Dei. Vide quomodo Psalmus: *Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt*. Ecce vinum, quod ore exundat, multiplices Dei laudes; *ex abundantia enim cordis os loquitur*. Ad istam ergo accurramus petentes gratiam, etc. Dicendum est de sponso, et sponsa, et modo nuptiarum, et loco, et convivio, et fructu, sive prole. Sponsus agnus est, Sponsa columba. Optime quadrat mansuetudo agni cum simplicitate columbina: optimum connubium. Ioannes Apocalypsi: *Nuptiae Agni*. De Verbo plurima diximus alias; nunc de anima, idest columba, dicendum est.

Magna certe, et valde magna est dignitas, et excellentia animae rationalis: thesaurus ingens in vase fictili, ut ait Apostolus. O si cognovisses te, o pulcherrima! O si scires tuam excellentiam! Natura simplex, coelestis, spiritalis, intellectualis, Angelo similis, et propinqua: siquidem *minuisti* eam paulo minus ab Angelis. Libera, et spontanea: ut fiat Deo similis ascendendo, ut fiat bruto similis descendendo. Quid amplius? Si vis cognoscere magnitudinem, Dei capax: et tamen coeli coelorum non te capiunt. Quid ait de anima? *Habitabo in ea, et deambulabo*. O magna capacitas, et ingens animae magnitudo! Ut etiam Deus deambulet de passione in passionem, de afflictione in afflictionem. Si magnitudo ergo quaeritur, Dei capax

est; si pulchritudo, Deo similis est. Ad imaginem et similitudinem meam creavi eam. Dei capax est: o quam magna! Deo similis est: o quam pulchra! O quomodo lucet, et splendet imago Dei in spiritali natura animae inserta! Sicut gemma in auro purissimo. Ecce qualis natura, ecce qualis arrha, quale donum imaginis in natura: Si vis agnoscere pretium eius, ingens est, magni valoris: multum aestimat eam Deus. Vis videre pretium animae? Sanguis Christi est. Vis videre quam Deo grata sit? Pro ipsa mortuus est, extrema passus est, omnia pro ea egit, omnia pro ea sustinuit nudus. Arrha animae est Deus, praemium animae est Deus, pretium animae datus est. Pro anima conditur mundus, pro anima moritur Deus: animae gloria et corona Deus, nam *gloria virtutis eorum tu es*, Psalmus. O homo, considera et vide, et attende qui sis: non enim es, quod appares, sed quod non appares. Quid de te videtur, nisi corpus? Et tamen tu, non corpus, sed spiritus es, aut quasi spiritus. Homo certe angelus est, aut quasi angelus. Quid, miser, animalibus et brutis quasi unus adiungeris? Certe, qui modo socius es brutorum, et animalium, consors eris Angelorum. Agnosce dignitatem tuam; nam, aut totus anima es, aut quasi anima es. Paulus: *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus*. Sed, quis non ploret tam speciosam creaturam luto isti immersam? Limo coenoso corporis visceratam, et conglutinatam? Quae est ista coniunctio? Spiritus ad coenum, animae ad terram? Psalmista lugens: *Adhaesit pavimento anima mea*. Et alibi: *Infixus sum in limo profundi*.

820 Mirabile certe officium superni Artificis, quod ille spiritus sic facit terreni corporis coniungatur, ut inde fiat unus homo. Quid non potest facere, qui pro-

digium tale fecit, et coelum miscuit terrae? Certe amplius addidit nobilitare limum nostrum, cum: *Et Verbum caro factum est*. Iam non miror, quod anima carni coniuncta est. Sed esto, iam unita est per naturam; hoc me magis terret, et dolere facit, quod amore non minus, quam natura ei adhaeret. Propter quid enim dolores, labores, anxietates anima sustinet, nisi pro corpore? Utique ipsa non eget vestimento, non cibo, non quiete, non somno, non opibus, non ceteris transitoriis, propter quae tam dura patitur supplicia. O anima, quid tibi, et coeno vili? Si corrumpatur corpus, tu immortalis es. Quid tua? Si peccat corpus, tu in coelis. Quid tua? Cur misera carcerem tuum, et catenam sic amas? Tu enim, sine corpore, a passionibus et doloribus libera es, agilis es, intellectualis es. Quare ergo misera pondus istud grave nimis, et vile terrenae faecis amas? Nonne melius est tibi liberam esse, solutam esse? Quis compedes etiam aureos diligat? Quis onus etiam auri non abhorreat? Et tamen vide, quale est, quod amas? Egredere, et separa te a corpore, et vide quale est, quod sic ardentem diligis, putredine scatet, et vermibus fervet. Fuge, fuge foetorem, claude nasum, operi visum ne videas. Hoc est, quod tam misere et ferventer diligis decepta, et ignorans? Si enim vivendo pulchritudinem aliquam aut vigorem habet, tua est, et non sua illa pulchritudo, tuus est ille vigor. Separa te ab illo, ut possis tecum tua separare, et agnoscere, quale est reliquum corporeum, cui es copulata. Cur ergo coelestis ipsa terrena diligis? Cur sempiterna transitoria, et spiritalis ipsa corporea, et speciosa foeculenta, et terrenas istas faeces amas? Dilige tibi similia, quaere tibi utilia. Quid tibi cum faecibus, quid tibi cum vermibus?

O Ingenua, et nobilis, et pulchra Filia Altissimi, cur degeneras a tua nobilitate pepertrando convitia? Cur libera gentis efficeris captiva vitiorum, et te subiugas peccatorum servitio? Cur templum Dei efficeris stabulum porcorum, id est daemoniorum? O Fratres, quam lamentabile est videre unam speciosam, et ingenuam creaturam factam coelestis civitatis civem, Dei consortem, Angelorum sociam, videre eam daemonibus ridiculam, defoedatam passionibus, et turpibus cogitationibus, spurcam, foetidam, coenosam, caecam, et nihil tamen sentientem! O quanta est differentia animarum! Una Dei Ara, Dei Templum, Spiritus sancti Sacrarium, velut hortus deliciarum omni genere suavitatis, plena floribus, liliis, purpuratis rosis mundandarum cogitationum, et affectionum redolens. Altera vero omni putredine repleta est.

821 Sed, de modo delectabilis unionis Verbi ad animam dic Originalis Bernardi 5 sermone super Cantica: *Illud autem scilote*, etc. Non potest alius spiritus illabi animae, nisi infinitus. Psalmus: *Inmittit Angelus Domini in circuitu timentium eum*. Ecce in circuitu fit immisio ab Angelo ipsi animae: sed a Verbo intime, intra viscera, medullitus; siquidem immisecetur ineffabili modo Lux illa increata luci creatae animae. Et licet Angelus, et anima, quoad naturam propinquiores sint et similiores, non tamen ita coniungibiles Spiritus, sicut Verbum et anima, propter duo. Et propter immensitatem Verbi, quae nihil perfectionis excludit, nec reicit a se. Et propter similitudinem, et imaginem animae ad Verbum. Sed, quando haec erunt? et quod signum adventus tui ad Sponsam tuam? Siquidem advenis, qui numquam recedis; ubique es, et tamen nescio quo modo advenis, non per fenestras corporis intrans: nam mors

intravit per fenestras; tu autem Vita es, et cum semper animae adsis, non tamen semper tua praesentia ipsi fulget. Quasi advenis ergo, non de foris, sed de intro; et nescio quomodo incipis esse praesens, qui numquam es absens. *Quod ergo signum adventus tui Domine? Psalmus: Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius*. Ignis fervoris et devotionis ipse praeparat thalamum animae; comburit omnem immunditiam, everrit domum. Psalmus: *Scopobam spiritum meum*. Quando ergo omnes concupiscentiae, omnes maleae cogitationes silent, quando in anima est omnis tranquillitas, omnis securitas, dum medium silentium tenerent omnia; ecce *Sponsus venit, exite obviam ei, exite obviam*, nam *velociter currit Verbum eius*. Quasi impresso osculo animae, ipsam replet suavitate, et fugit. Nam adventus eius, sicut fulgur irradiat subito; et ecce, dum anima brachia desideriorum mittit ad amplexandum, elabitur inter manus, et disparet: non enim valet anima, misero corpori clausa, in illam supernam lucem figurare obtutum. Anima autem plena suavitate clamat post eum: *Revertere, Dilecte mi*. Si non manes, saltem saepius me visita subito. *Similis esto capreae, himuloque cervorum super montes Bethel*, id est domus Dei. Qui sunt isti, nisi Angelicae potestates? Esto ergo similis in anima mea, sicut super montes Bethel: quoniam ibi diu, et semper manes, in me autem vel modicum siste. O quomodo norat hoc ille, qui canit epithalamium huius desponsorii, dicens: *Ecce, iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est Dilectus meus capreae, himuloque cervorum*. Et Psalmus: *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscat amplius locum suum*.

Sed dices: Dominus dicit in Evange- 822

lio: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Nota, quod Dominus, quoad gratiam, in anima sedet diu, quoad misericordiam praedestinationis semper, quoad illapsum, velociter. Ideo Psalmus cum dixisset: *Spiritus pertransibit in illo, ait: Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum*. Ab aeterno praedestinas, usque in aeternum glorificans; quos misericorditer ab aeterno praedestinavit, temporaliter vocavit, temporaliter iustificavit, aeternaliter autem magnificavit misericordia. Volo autem ut ponderes, quod dicitur ibi, licet ad aliud propositum forte: *Super timentes eum, et iustitia his qui servant testamentum eius*. Ecce confidunt timentes et sperantes, quia misericors est; et timentes servantes praecepta, quia iustus est. Neque deest illi iustitia, ut praemiet laborantes, neque misericordia, ut parcat reis, modo timeant ipsum, et sperent *super misericordia eius*. Vide optimam distributionem. Misericordiam tribuit sperantibus in eo, et iustitiam servantibus illi. Dicamus modo, quomodo sponsam agni dicit esse columbam; columbam enim eam vocat in Cantica: *Sponsa mea. Columba mea*. Columba enim est sine felle, simplex, gemens, volatu praecipuus. Sponsa, ut columba immaculata, sine amaritudine peccati, gemens per poenitentiam, simplex sine dolo, unius cordis, debet per saecularia velociter transire, et sursum volare, non versus terram. *Quis dabit mihi penas sicut columbae? Volabo, et requiescam*. Nam aves, quae terrae proximiores volant, timendum est sic volantibus, ne forte cadaver, vel simile aliquid in terra aspiciant, cuius desiderio tractae, videantur a venatoribus pessimis, et praeparatis laqueis capiantur, aut sagittentur, ut ait Bernardus. Quoniam sunt ibi laquei daemoniorum: et daemones

sunt *post parietem nostrum*; id est carnem: *qui paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*. Pharetra daemonis caro nostra est. Ibi latent sagittae desideriorum, quibus vehementer perforant animam, si se voluptatibus dat, et residet in terra. Volet ergo perpeti volatu, transeundo per transitoria, anima, ut sit columba Deo grata, alias non poterit sponsari cum Agno; nam *nuptiae factae sunt*. Attende ubi: *in Cana Galilaeae*. Cana fervor, Galilaeae transmigratio dicitur. In fervore ergo transmigratio, id est, in dilectione peregrinationis. Duo ergo requiruntur ad sponsam: ut amet, et ut peregrina sit. Multas habebat Sichein filius Regis in sua civitate, sed solam Dinam peregrinam adamavit. Filius Regis aeterni solam peregrinam animam diligit ut Sponsam, et eam dignam se nominat. Non vult sponsam civem Babylonis, quae hic habitet in terra, sed quae dicat, quod ait Apostolus: *Constitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram*. Non est maius signum coelestium incolarum, quam cum peregrini sunt in terra. Puella enim illa ait Petro, tu ex illis es. Dic, obsecro, in quo eum agnoscis, o puella? Non, ait, habitu, non vultu, non in alio, sed quoniam *Galilaeus est*. Hoc est signum, quoniam *ex illis est*, ex Discipulis, inquam, Domini Iesu.

823 Quis poterit dapes spirituales huius convivii dicere? Sed de vino saltem aliquid dicamus. Aliter in convivio diaboli, et aliter in convivio Christi. Nam inimicus homo *primo ponit vinum bonum, divitias, voluptates, et cum inebriati fuerint, cum miseram animam cupiditatum aestibus inebriaverit ad voluptatem perditae anhelantem, tunc ponit quod deterius est*. Ponit dolores, tormenta inferni. Ipsemet illator est tormentorum, qui fuit persuasor voluptatum. O miseri homi-

nes, qui bibentes cum suavitate, non videtis saporem insipidum, quem resipit hoc vinum! Vac vobis! In convivio Christi aliter. Tu vero servasti bonum vinum usque adhuc. Primo ponit dolores, tentationes, famem, paupertatem, deinde gloriam. In mundo pressuram habebitis; sed aqua mutabitur in vinum, quia tristitia vestra vertetur in gaudium. O quale vinum illud gloriae? Inebriabuntur ab ubertate domus tuae. Sufferamus ergo, Fratres, modicum hic amaritudinis, pro aeterna dulcedine, exemplo Christi. Apostolus: Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Ipse prius bibit de calice isto: et plus ipse solus bibit, quam simul omnes alii biberunt. Sponsa in Canticis: Vinum optimum, dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum. S. Thomas ibi super hunc locum: Labia Apostoli sunt et Doctores; dentes Martyres. Nam, ut ait Plinius 7 libro naturalis historiae, si totum corpus comburatur, soli dentes non comburantur, nec vincuntur ab igne. Ita huius connubii foecundi fructus, ac proles Martyres, ipso igne persecutionum invicti permanserunt. Ideo de Apostolis dicitur in Canticis: Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro. O felix grex: nam deposito vellere in manibus persecutorum, sicut oves coram tondentibus se muti, cum maledicerentur non maledicebant. Et ut Ecclesia canit: Non murmur resonat, non querimonia. Sicut oves ergo mansuetae, a persecutoribus vellere corporum spoliatas, animae illae sanctae ascenderunt de lavacro sanguinis suis dealbatae super nivem, et candidatae suo proprio sanguine. Redeamus modo ad auctoritatem supra positam.

Vinum passionum dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum. Ipse potavit, dentes ruminarunt. Ipse enim Deus est, ideo tormenta sic fortiter deglutivit, quasi biberet aquam; flagrabat enim desiderio Redemptionis; gratis ipse se obtulit occidendum, sine debito aliquo, sine peccato aliquo. Martyres vero, licet fortissimi, tamen ruminaverunt passiones, et tormenta: nam cum difficultate maxima et repugnantia sensualitatis, et timore poenarum, quamvis viriliter ista superabant. Iob: Quis est vir ut Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam? Iob dolens Christum significat, ut ait Gregorius. Quis est inter Martyres Domini similis Iob Christo, qui subsannationes, et opprobria bibit quasi aquam? Et cum tot iam tormenta sustinuisset, adhuc, quasi non contentus, ait: Sitio. Sitis adhuc, bene Iesu? Parum est tantum bibisse pro me; adhuc mortem sitis, ut salutem praebeas: quippe saturabitur opprobriis. Vinum ergo Sponsi purum est, ut ait Bernardus, quia non ex demerito peccati, quia non ex debito servitii; sed Martyri, quantumcumque fortissimo, dicere possumus: Vinum tuum mixtum est aqua.

Sed oritur dubitatio: nam, quomodo dicitur, Christum bibisse cum facilitate passionem, et Martyres cum difficultate, cum Christus timore passionis sudorem sanguineum sudaverit, et de aliquibus Martyribus dicatur, quod iverint lacti ad passionem, sicut ad convivium et epulas? Respondeo. Non fuit maior fortitudo in Martyre, quam in Christo; nam ipse est Martyrum fortitudo. Sed hoc contingit duplici de causa. Primo: ut Christus ostenderet se passibilem, et verum hominem, et sentire tormenta. Et fuit hoc necessarium propter Machaeos, qui dixerunt eum non habuisse

veram carnem, sed fantasticam. Et non solum hoc, verum etiam ipse Hilarius sanctissimus dixit: Christum non sensisse tormentorum dolorem, quamvis postea retractaverit, ut dicit S. Thomas. Secunda ratio huius est. Nam Martyres, licet exterius in corpore sustinebant tormenta, interius tamen consolabantur a Deo interno auxilio, ut ipsi met etiam dicebant tortoribus. Christus autem, ut magis pateretur, derelictus fuit omnino quoad potentiam passibilem: nam non solum detinebatur gloriae influenza, ne redundaret in passibili carne, verum etiam internum illud auxilium illi non adfuit. Ideo ipse conqueritur ad Patrem: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? O Pater! Alios solaris, alios adiuvas, me solum deseris. me solum derelinquis? Ideo dolor Christi erat purus dolor, et tristitia pura tristitia: sed dolor Martyrum erat mixtus consolatione. Vinum tuum, Domine, vinum doloris purum. Sed, o Martyr, vinum tuum mixtum est aqua. O quam pura erat illa tristitia, quae sanguinem per totum corpus in sudorem vertit! Dicit enim: Tristis est anima mea usque ad mortem. Quia, nisi esset ex speciali miraculo, sufficeret occidere quemcumque hominem. Nota circa istam materiam, quod dicit Hugo Cardinalis super illum versum illius Psalmi: Attendite popule meus legem meam, etc. Convertit in sanguinem flumina eorum, sed apud Babylonios. Convertit aquam in vinum, sed apud Galilaeos. Convertit vinum in sanguinem, sed apud Apostolos. Aqua sapientiae mundialis conversa est in sanguinem. Aqua timoris conversa est in vinum amoris in nuptiis apud Galilaeos. In nuptiis animae expellitur timor, et accenditur amor. Aqua, vinum verum est in sanguinem in Sacramento; et item apud Martyres, nam propter

charitatem fervoremque amoris sanguinem suum fuderunt.

Primo. Erat Mater Iesu ibi. Quam sanctas, quam honestas putas esse nuptias, quibus Mater puritatis interesse dignatur? Nihil ibi lubricum, nihil indecorum: contra hodiernas nuptias. Dilata. Quomodo ingurgitantur vino, quomodo fiunt, et dicuntur obscena. Vocatus est autem et Iesus. Non expectabant dona, quoniam pauperes erant, sed praesentiae auctoritatem.

Secundo. Deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Nota fidem Virginis: nondum viderat eum miracula facientem; et tamen noverat quis esset, et quomodo eum conceperat.

Tertio. Et dicit ei Iesus: Quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea. Illa hora super omnes horas benedicta, qua ego Ecclesiae desponsandus sum in thalamo Crucis: quando arrhas pretiosissimas Sacramentorum praestabo, non deerit tibi vinum amoris, vinum charitatis. Dominus tanquam potens crapulatus a vino. Ex illo racemo terrae promissionis expresso in torculari, abundanter Ecclesiae vinum ministrabitur. Quis non ardet, Domine, si tuas afflictiones consideret, si tuos dolores, tua opprobria pro nobis? Ipse quoque Sponsus, quanto amore inebriatus fuerit, figura in Iacob serviente pro Rachele. Et videbantur, ait, illi pauci dies prae amoris magnitudine. Parum ei visum est pati, parum flagellari, parum crucifigi, parum mori; ait: Sitio. Quid sitis, Domine? Nonne scriptum est, quoniam saturabitur opprobriis? Quodcumque dixerit vobis, facite. Ecce Virginis confidentiam. Noverat Filii benignitatem, nec repulsam se ab eo pati posse sciebat.

Quarto. Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est. Ita faciunt

homines, ita mundus. Primo delicias ponit, deinde dolores. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ab inferna descendunt.* Deus vero primo ponit vinum amarum, deinde dulce. Quam amarum videtur amatoribus mundi illud: *Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus!* Quam austerus potus ille: Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus! Sed ignorant, quam suave sit iugum Domini, et quanta dulcedo spiritus huic amaritudinī permixta sit. Sed esto, amara sit Crux, dura sit poenitentia. Quis non momentaneum amaritudinis poculum bibat, ut aeterno inebrietur nectare beatitudinis? *Momentaneum, enim, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.*

829 Quinto. Ut autem de duplici isto vino aliquid dicamus; nota tres conditiones, quas habet vinum saeculi, et alias tres, quas habet vinum Domini. Vinum mundi inebrians peccatores, placet colore, odore, sapore: attende colorem in suggestione, odorem in delectatione, saporem in experientia. Retinet aliquis aliena, colore sustentandi suum statum et honorem; facit illicitos contractus, simonias, fraudes; si reprehendas, dat facto colorem. O quomodo vivam, quomodo filios et uxorem et familiam sustentabo? Sub isto colore Episcopi diripiunt Ecclesias, sub isto colore domini spoliant subditos, sub isto colore fratres vagantur, sub isto colore mille vitia palliantur. Est etiam in suggestione color; quando diabolus, quos non potest sub specie mali, decipit sub specie boni. De hac suggestione est: *Ruben primogenitus meus,* etc. Cogita, rubra, sanguinolenta; *Non crescat.* Est secundo odor vini in delectatione, quando animus inclinatur ad voluptatem allectus a concupiscentia. De

hoc figura. Abraham abigebat aves, quae ad odorem cadaverum animalium inclinabantur. Vir spiritualis, quando videt aves, scilicet desideria ad morticina voluptatum inclinari, abigat, faciat in altum volare. Est sapor in experientia; unde tot miseri, captivi et servi, peccatorum sapore detenti.

Sexto. In vino etiā Domini sunt tria. 830 Primo, Acerbitas: *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.* Sic enim vinum solet vulneribus sanandis dolorem inferre. Secundo, est Misericordia: *Bibi vinum cum lacte meo.* Vinum cum lacte bibit, qui ad Deum amoris fervore convertitur, et ad proximum dulcedine pietatis; in Deum pius, in proximum benignus. Tertio, est ardor devotionis, de quo vino ait Sponsa: *Vinum optimum, dignum Dilecto meo ad potandum, labisque et dentibus illius ad ruminandum.* Et istud vinum ponit sponsus in illo matrimonio Verbi Sponsi et animae, quando convertit aquam tepiditatis in vinum fervoris. Bibimus hic, sed inebriamur illic. Sponsus in Canticis: *Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi. Labis et dentibus illius ad ruminandum.* Solus Sponsus habet vinum purum; alii vinum lymphatum vel tepiditate, vel negligentia, vel ignorantia, vel fragilitate. Quomodo Deus filios vino, et servos aqua utris potat. Figura Abrahæ, et Ismaelis; ita etiam serviles animos praemiatur Deus copia terrenarum opum, et honorum saecularium. Sed finiendus est uter, et sicut Ismael.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

[DE FESTIS DOM., LIB. 1., CAP. 2., N. 38-40.]

XXXVIII.

I AM vero ea doctrina veluti quadam norma probe constituta, primo discipiendum est, unde Magi profecti Bethlechem venerint. Chrysostomus, Clemens Alexandrinus, Cyrillus itidem Alexandrinus

FERIA SEXTA

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

HOMIL. IN DOM. II. EPIPH.

834 Q UOD Dominus noster atque Salvator ad nuptias vocatus, non solum venire, sed et miraculum ibidem, quo convivas laetificaret, facere dignatus est, exceptis coelestium sacramentorum figuris, etiam iuxta litteram recte fidem credentium confirmat. Porro Taciani et Marciani ceterorumque qui nuptiis detrahunt, perfidia quam sit damnablem insinuat. Si enim toro immaculato, et nuptiis debita castitate celebratis culpa inesse, nequaquam Dominus ad has venire, nequaquam eas signorum suorum initiis consecrare voluisset. Nunc autem quia bona est castitas coniugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis, ad comprobandum omnium electionem graduum, discernendum tamen singulorum meritum, ex intemperate Mariae virginis utero nasci dignatus est, a prophetico Annae viduae ore mox natus benedicitur, a nuptiarum celebratoribus iam juvenis invitatus, et hos suae praesentia virtutis honorat. Sed nunc redeamus ad altiore coelestium laetitiam figuratum.

835 Miracula namque facturus in terra Dei Filius venit ad nuptias, ut ipsum se esse diceret, de quo sub typo solis Psalmista praecinnit: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo caelo egressio eius. Et occursum eius usque ad summum eius.* Qui et ipse quodam loco de se suisque fidelibus ait: *Nunquid possunt filii sponsi lugere quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus et tunc ieiunabunt.* Quia nimirum incarnatio nostri Salvatoris, ex quo patribus coepit pro-

putant e Perside esse profectos. Qua quidem ex regione, quae ab Ierosolymis decies centenis millibus passuum, atque eo amplius distat, Magi si revera profecti sint, non sane fieri potuit, ut tredecim tantummodo diebus post Natalem Christi diem, adhibitis etiam ad iter velocissimis dromedaris, Ierosolymam pervenirent; tum quod haud ita verisimile est deliberando inter se nihil temporis consumpsisse, sed simul ac stella illuxerit, iter ingressos esse; tum quod Ierosolymis nonnihil temporis colloquio cum Herode habito consumptum illis oportuit, nec prius a Rege dimissos, quam, primoribus convocatis, Herodes ubi Christus esset nasciturus sedulo disceptasset.

832 XXXIX. Cuius argumenti ea vis est, ut qui communem tuerentur sententiam, ad illud probe evertendum necessarium sibi putent eo decurrere, ut dicant multo ante Christi Natalem diem stellam apparuisse, ideoque Magos multo ante vigesimam quintam Decembris diem iter illud suscipere potuisse. Nos vero existimamus, stellam non ante illuxisse, quam Christus Dominus fuerit natus, sed punto illo temporis, quo in lucem est editus Iesus, in caelo coruscasse; nec inde tamen fieri, ut Magi sexta Ianuarii die Bethlechem pervenire non potuerint; illudque adversariorum argumentum ea vi minime praeditum esse dicimus, ut eo commoti diem Festi ab eo, quo Mysterium contigit, selungamus.

833 XL. Stellam non ante Christum natum, sed momento illo quo Iesus in lucem prodit, apparuisse diximus, luculentissimis Matthaei verbis inducti cap. 2, v. 1, et 2: *Cum ergo natus esset Iesus in Bethlechem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum:* ex quibus verbis patet, stellam non nascituri, sed iam nati Regis fuisse indicium, nec post Christi Nativitatem, sed ipso Nativitatis eius momento resplenduisse. Nec prius apparuisse stellam, quam Christus Dominus in hanc lucem prodierit, fatetur ipse Florentinus, loc. cit., pag. 233: *Insuper neque Magi de nascituro Domino inquirebant, sed ubi iam natus esset: quia viderant stellam eius iam nati Regis Iudaeorum praenunciam.* Nec ab hac sententia multum abesse videtur Ioannes Federicus Miogius, Dissertat. *De Stella a Magis conspecta,* tom. 2 Dissertationum in Novum Testamentum, pag. 19, § 13.

mitti, multis est sanctorum lacrymis et luctu semper expectata donec veniret. Similiter ex quo post resurrectionem ascendit ad coelum, omnis sanctorum spes ad eius pendet redditum. Solo autem quo cum hominibus conversatus est tempore, flere ac lugere nequiverunt: quia iam secum etiam corporaliter eum, quem spiritaliter dilexerunt habebant. Sponsus ergo Christus, sponsa eius est Ecclesia, filii sponsi vel nuptiarum singuli quique fidelium eius sunt: tempus nuptiarum est tempus illud quando per incarnationis mysterium sanctam sibi Ecclesiam sociavit. Non igitur casu sed certi gratia mysterii venit ad nuptias in terra carnali more celebratas, qui ad copulandam sibi spiritali amore Ecclesiam de coelo descendit ad terram: cuius quidem thalamus incorruptae Genitricis uterus fuit, in quo Deus humanae naturae coniunctus est, et ex quo ad sociandam sibi Ecclesiam tantquam sponsus processit. Primus nuptiarum locus Iudaea extitit, in qua Filius Dei homo fieri, et Ecclesiam sui corporis participatione consecrare, sui Spiritus pignore in fide confirmare dignatus est: sed vocatis ad fidem gentibus usque ad fines orbis terrae earumdem nuptiarum votiva gaudia pervenerunt. Nec vacat a mysterio quod die tertia, post ea quae superior Evangelii sermo descripserat, nuptiae factae referuntur: sed tertio tempore saeculi Dominum ad aptandam sibi Ecclesiam venisse designat. Primum quippe saeculi tempus ante legem patriarcharum exemplis, secundum sub lege prophetarum scriptis, tertium sub gratia preconiis Evangelistarum, quasi tertii diei luce mundo refulsit, in quo Dominus et Salvator noster pro redempturis generis humani in carne natus apparuit. Sed et hoc quod in Cana Galilaeae, id est, in zelo transmigracionis,

perpetratae, eadem nuptiae esse perhibentur, typice denunciat eos maxime gratia Christi dignos existere, qui zelo fervere pie devotionis, et aemulari charismata maiora, ac de vitis ad virtutes bona operando, de terrenis ad aeterna norunt sperando et amando transmigrare. Discumbente autem ad nuptias Domino, vinum defecit, ut vino meliori per ipsum mirabili ordine facto, manifestaretur gloria latentis in homine Dei, et credentium in eum fides aucta proficeret. Quod si mysterium quaerimus apparente in carne Domino, merca illa legalis sensus suavitas paulatim coepert ob carnalem Pharisaeorum interpretationem a prisca sua virtute deficere, qui mox ea quae carnalia videbantur mandata ad spiritalem convertit doctrinam, cunctamque litterae legalis superficiem Evangelica coelestis gratiae virtute mutavit, quod est vinum fecisse de aqua. Sed primo studeamus indagare quid sit, cum deficiente vino diceret mater Iesu ad eum:

*Vinum non habent. Respondit: Quid mihi et tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Neque enim matrem suam inhonoraret, qui nobis iubet honorare patrem et matrem: aut eam sibi esse matrem negaret, ex cuius carne virginea carnem suscipere non desepit, etiam Apostolo teste, qui ait: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Quomodo ex semine David secundum carnem, si non ex corpore Mariae secundum carnem, quae ex semine David descendit? Sed in eo quod miraculum facturus ait: *Quid mihi et tibi est mulier,* significat se Divinitatis, qua miraculum erat patrandum, non principium temporaliter accepisse de matre, sed per aeternitatem semper habuisse de Patre. *Quid mihi et tibi,* inquit, *est mulier,* cui ex Divinitate, quam ex Patre semper habui, cum tua carne, ex qua carnem

suscepi, commune non est. *Nondum venit hora mea,* ut fragilitatem sumptae ex te humanitatis moriendo demonstrem: prius est ut potentiam aeternae Deitatis virtutes operando patefaciam. Veniet autem hora, ut quid sibi et matri commune esset ostenderet, cum eam moriturus in cruce discipulo virgini virginem commendare curavit. Carnis namque infirma perpetuens, matrem, de qua haec suscepit, pie cognitam, ei, quem maxime diligebat, discipulo commendavit, quam divina facturus quasi incognitam se nosse dissimulat: quia hanc divinae nativitatis autorem non esse cognoscit.

837 *Erant autem lapideae hydrae sex positae secundum purificationem Iudeorum capientes singulae metretas binas vel ternas.* Hydrae vocantur vasa aquarum receptui parata. Graece enim ὑδρῶς, aqua dicitur. Aqua autem Scripturae Sacrae scientiam designat, quae suos auditores et a peccatorum sorde abluere et divinae cognitionis solet fonte potare. Vasa sex quibus continebatur aqua, corda devota sunt sanctorum, quorum perfectio vitae et fidei ad exemplum recte vivendi ac credendi proposita est generi humano per sex saeculi labentis aetates, id est, usque ad tempus Dominicae passionis. Et bene lapidea sunt vasa: quia fortia sunt precordia iustorum, utpote illius fide et dilectione solidata lapidis quem vidit Daniel praecisum de monte sine manibus, factumque in montem magnum, et implese omnem terram: et de quo dicit Zacharias: *In lapide uno septem oculi sunt,* id est, in Christo universitas scientiae spiritalis inhabitat, cuius et Apostolus Petrus meminit dicens: *Ad quem accedentes lapidem vivum et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini.* Bene secundum purificationem Iudeorum tantum positae sunt hydrae: quia Iudaeorum tantum populo *lex per Moysen data*

est. Nam gratia Evangelii et veritas non minus gentibus quam Iudaeis per Iesum Christum facta est. Capientes, inquit, singulae metretas binas et ternas, quia Scripturae Sanctae auctores et ministri prophetae, modo de Patre tantum loquuntur et Filio, ut est illud: *Omnia in sapientia fecisti. Virtus etenim Dei et Sapientia Christus est:* modo etiam Spiritus sancti faciunt mentionem, iuxta illud Psalmographi: *Verbo Domini caeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Verbum Domini et Spiritum totam, quae unus est Deus, intellige Trinitatem. Sed quantum inter aquam et vinum tantum distare inter sensum illum quo Scripturae ante adventum Salvatoris intelligebantur, et eum quem veniens ipse revelavit Apostolis eorumque discipulis perpetuo sequendum reliquit. Et quidem potuit Dominus vacuas implere hydras vino, qui in exordio humanae creationis cuncta creavit ex nihilo: sed maluit de aqua facere vinum, quo typice doceret, non se ad solvendum improbandumque, sed ad implendum potius legem prophetasque venisse: neque alia se per Evangelicam gratiam facere et docere, quam quae legalis et prophetica Scriptura eum facturum docturumque signaret. Videamus ergo fratres sex hydras Scripturarum aqua salutari repletas, videamus eandem aquam in suavissimum vini odorem gustumque conversam.

In prima aetate saeculi Abel iustum 838 frater invidens occidit: et ob hoc ipse perpetua martyrio gloria beatus, etiam in Evangelicis et in Apostolicis litteris iustitiae laudem accepit, et fratricida impius aeternae maledictionis poenas luit. Quicumque his auditis metuunt cum impiis damnari, cupientes benedici cum piis, omnium odiorum et invidiae fomitem abiciunt. Deo placere per sacrifi-

cium iustitiae, modestiae, innocentiae ac patientiae curant, vas plenum aqua in Scriptura inveniunt, unde salubriter abluti potatque gaudent. Sed si intellexerint Cain homicidam Iudaeorum esse perfidiam, occisionem Abel passionem esse Salvatoris, terram quae aperuit os suum, et suscepit eius sanguinem de manu Cain, Ecclesiam esse quae effusum a Iudaeis Christi Sanguinem in mysterium suae renovationis accepit, nimirum aquam in vinum mutatam repererunt: quia Sacrae dicta legis sacratius intelligunt.

839 Secunda aetate saeculi inchoante delatus est aquis diluvii mundus, ob magnitudinem peccatorum: sed solus Noe, propter iustitiam est cum domo sua liberatus in Arca. Huius plagae audita vastatione horribili, paucorumque liberatione mirabili, quisquis emendatus vivere coeperit, liberari desiderans cum electis, timens exterminari cum reprobis, hydriam profecto aquae, qua mundaretur vel reficeretur, accepit. At vero cum altius respicere coeperit, et in arca Ecclesiam, in Noe Christum, in aqua delente peccatores aquam baptismi, quae peccata diluit, in hominibus vel in animalibus quae arca continebat multifariam baptizatorum differentiam, in columba, quae post diluvium ramum olivae intulit in arcam, unctionem Spiritus sancti qua baptizati imbuuntur, intellexerit, vinum profecto de aqua factum miratur: quia in veteris historia facti suam ablu-tionem, sanctificationem, iustificationem prophetari contemplantur.

840 Tertia aetate saeculi Deus tentans obedientiam Abrahae, filium unicum eius quem diligit, in holocaustum sibi offerri praecepit. Non differt Abraham facere quae iubetur, sed pro filio immolatur aries: ipse tamen pro obedientiae virtute eximia perpetuae benedictionis haeredita-

te donatur. Ecce habes hydriam tertiam. Audiens enim quanta virtus obedientiae, quanta mercede remuneretur, et ipse obedientiam discere atque habere satagis. Quod si immolationem filii unici dilecti passionem eius intelligis, de quo dicit Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: in qua quia divinitate impassibili permanente, sola humanitas mortem passa est et dolorem, quasi filius offertur: sed aries mactatur. Si intelligis benedictionem, quae promissa est Abrahae, in te de gentibus credendis munus esse completum, nimirum tibi de aqua vinum fecit: quia spiritalem sensum, cuius nova fragrantia inebriaris, aperuit.

841 Quartae aetatis initiis David pro salute regnum Israeliticae gentis sortitur, humilis, innocens et mitis, exul pro illo, cuius iniusta diu persecutione cruciabat. Ecce hydria quarta fonte salutari repleta. Quisquis haec audiens humilitati atque innocentiae studere, et superbiam coeperit atque invidiam suo de corde repellere, quasi haustum aquae limpidissimae, quo reficiatur, invenit. At si in Saule Iudaeos persequentes, in David Christum et Ecclesiam significari cognoverit, illorum ob perfidiam, et carnale simul imperium, et spiritale destructum, Christi autem et Ecclesiae regnum semper esse mansurum, poculum utique vini de aqua factum sentiet: quia se suamque vitam et regnum, sed et ipsum regem ibi scriptum legere novit, ubi prius quasi de aliis veterem legebat historiam.

842 Quinta aetate saeculi populus peccans captivitate Nabuchodonosor Babyloniam transmigrat: sed post septuaginta annos poenitens et correctus, in patriam per Iesum sacerdotem magnum reducit: ubi domum Dei, quae incensa est, et civitatem sanctam, quae destructa est, reaedificat.

Haec legens sive audiens quisque cum peccandi metum corripit, ad poenitendi remedium confugit, aqua hydrae purificantis ablutus est. Si vero intelligere dixerit Ierusalem et templum Dei Ecclesiam Christi, Babylonem confusionem peccatorum, Nabuchodonosor diabolum, Iesum sacerdotem magnum, verum aeternumque pontificem esse Iesum Christum, septuaginta annos bonorum plenitudinem operum, quae per Spiritus sancti dona largiuntur, videlicet propter decalogum et septiformem eiusdem Spiritus gratiam, viderique hoc quotidie fieri, aliis nimirum a diabolo de Ecclesia peccando raptis, aliis gratia Spiritus sancti per Christum respiscendo ac poenitendo reconciliatis, vinum de aqua factum habet: quia ad se pertinere quae scripta sunt intelligens, magna mox compunctionis ardore, quasi musto incalescens, quidquid sibi peccati captivantis inesse deprehenderit, per Christi gratiam liberari deposcit.

843 Sexta inchoante saeculi aetate, Dominus in carne apparens octava die nati-tatis iuxta legem circumcisis est, tricesima et tertia post haec ad templum delatus, et legalia pro eo sunt munera oblata. Haec intuentes ad litteram, aperte discimus quanta nobis diligentia sunt Evangelicae fidei subeunda mysteria, quando ipse benedictionem gratiae afferens, qui legem litterae dedit, veterum primo ceremoniarum ritu consecrari, quo cuncta divinitus consecrat, et sic nova gratiae sacramenta suscipere simul et tradere curavit. Ecce hydria sexta ad abluenda peccati contagia, ad potanda vitae gaudia mundiorum ceteris afferens undam. Verum si in octavi diei circumcisione baptismi, quod in mysterium Dominicae resurrectionis a peccatorum nos morte redemit, intelligis in inductione in templum, et oblatione hostiae purificantis figuratum

cognoscis, fideles quoque de baptisterio ad altare sanctum ingredi ac Domini corporis et sanguinis victimam singularem debere consecrari, vino quidem de aqua facto, et quidem meracissimo donatus es. Porro si circumcisionis diem ad generalem humani generis resurrectionem, quando mortalis propago cessabit, et mortalitas tota immortalitate mutabitur, interpretaris: et circumcisos induci in templum cum hostiis intellexeris, quando post resurrectionem universali expleto iudicio sancti iam incorruptibiles facti, ad contemplandam perpetuo speciem divinae maiestatis cum bonorum operum muneribus intrabunt: mirandum profecto, vinum de aqua fieri videbis, cuius conditoris recte protestaris et dicas: *Ei poculum tuum inebrians quam praeclarum est*. Ergo Dominus vinum in gaudia nuptiarum non de nihilo facere voluit, sed hydrias sex impleri aqua praecipiens, hanc mirabile convertit in vinum: quia sex mundi aetates sapientia salutaris largitate donavit, quam tamen ipse veniens sublimioris sensus virtute fecundavit. Nam quae carnales carnaliter tantum sapiebant, ipse spiritaliter sentienda reseravit. Vultis audire, fratres, qualiter de aqua fecerit vinum. Apparuit post resurrectionem suam duobus discipulis ambulanti-bus in via, ibatque cum illis, et incipiens a Moysae, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant. Vultis iterum audire quomodo eodem sunt vino inebriati? Postmodum cognoscens quis esset, qui eis verbum vitae propinabat, dicebant ad invicem: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas?*

844 *Dicit ergo Iesus ministris: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.* Quid per ministros, qui haec iubentur facere, nisi Christi signantur



discipuli, qui impleverunt hydrias aqua? Non quidem ipsi praeteritas mundi aetates legalibus, ac prophetis implendo scriptis: sed ipsi intelligendo prudenter, et aperiendo fideliter: quia Scriptura, quae a prophetis ministrata est, et salubris esset ad haustum sapientiae coelestis, et ad operum castigationem utilis. *Impleverunt autem eas usque ad summum*, quia recte intellexerunt nullum fuisse tempus saeculi a Sanctis alienum doctoribus, qui sive verbis, sive exemplis, sive etiam scriptis viam vitae mortalibus panderent.

845 *Et dicit eis: Ite, et haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt.* Architriclinus aliquis legisperitus illius temporis est, fortasse Nicodemus vel Gamaliel, vel discipulus tunc eius Saulus, nunc autem magister totius Ecclesiae Paulus Apostolus. Et dum talibus verbum Evangelii creditur, quod in littera legis et prophetiae latebat occultum, vinum utique architriclino de aqua factum propinatur. Unde convenienter perhibetur, quod architriclinus vocato sponso dixerit: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.* Quia doctorum est cognoscere distantiam legis et Evangelii, veritatis et umbrac, cunctisque veteribus institutis, cunctis regni terreni promissis, novam Evangelicae fidei gratiam, et perpetua coelestis patriae dona proferre.

846 *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae, et manifestavit gloriam suam.* Manifestavit hoc signo, quia ipse esset Rex gloriae, et ideo sponsus Ecclesiae, qui ut homo communis veniret ad nuptias, sed quasi Dominus coeli et terrae elementa prout voluisset, converteret. Pulchra autem rerum convenientia, qui initio signorum, quae mortalibus adhuc mortalibus erat ostensurus,

aquam convertit in vinum: ipse initio signorum quae immortalis iam per resurrectionem effectus, immortalitatis vitae studia sola sectantibus ostenderet, carnalem prius et quasi insipidam mentem eorum sapore scientiae coelestis imbuit. Nam et primo consistens in terra, sui Spiritus munere aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas: et postmodum misso eodem de coelis maiorem superni amoris simul et sapientiae spiritalis fragrantiam eorum cordibus infudit: data insuper omnium cognitione linguarum, quibus universo orbi eam, quam ceperant, vitae gratiam propinare sufficerent. Has ergo Christi et Ecclesiae nuptias, fratres charissimi, quae et tunc una in civitate figurabantur, et nunc universo celebrantur in orbe terrarum, tota mente diligamus harum gaudiis coelestibus indefessa bonorum operum intentione iungamur. Has quia per fidem vocati intravimus mundo dilectionis habitu, celebrare curemus, nostrae actionis simul et cogitationis maculas ante diem extremi discriminis ipsi sollicitius examinando diluamus: ne forte tunc ingrediens Rex, qui has suo filio nuptias fecit, si viderit nos nuptialem charitatis vestem non habere, eiciat nos et ligatis a bene agendi facultate pedibus nostris ac manibus exterioribus mittat in tenebras. Mundemus fide fortia cordium nostrorum vascula secundum purificationem praeceptorum coelestium, impleamus haec aqua scientiae salutaris, sacrae lectioni crebrius attendendo. Rogemus Dominum ut ipsam, quam nobis scientiae gratiam contulit (ne forte inflat) charitatis suae fervore calefaciat, et ad superna quaerenda sola ac sapientia convertat: quatenus spiritaliter inebriati, possimus et ipsi cum Propheta cantare: *Potasti nos vino cunctionis.* Sicque fit, ut nobis quoque

bene proficientibus, et nunc ex parte prout capere sufficimus, et in futuro perfecte Iesus manifestet gloriam suam: in qua vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.  
(DE FESTIS DOM., LIB. 1, CAP. 9, N. 47-49)

XLI.

847 **I**LLUD etiam diximus potuisse Magos Bethleemum sexta Ianuarii die pervenire: non enim e Perside, seu Chaldaea, ut quidam putant, quorum e numero est Rhoden, Dissert. de primis Salvatore Venerabilibus Magis, in Thesauro Dissertationum in Novum Testamentum, tom. 2, pag. 72, § 9, sed ex Arabia Felice profecti sunt. Hanc sententiam sequitur Tertullianus, Lib. adv. Iudaeos, cap. 9, et lib. 3 contra Marcionem, cap. 13. Davidica illa afferens verba: *Et dabitur ei de auro Arabiae; et illa: Reges Arabum, et Saba dona adducent.* S. Iustin, Dialog. cum Tryphon, Magos Arabes vocat. Huc accedit, Arabiam Felicem ad Iudaeae Orientalem plagam positam esse; et Matthaeum scripsisse, Magos ab Oriente profectos; eiusque regionis munera aurum, thus et myrrham attulisse. Grotius, tom. 6, Crit. sacr., pag. 71 et 72, ad ca. S. Matthaei verba, ab oriente vetustissimum fuisse ait Christianorum opinionem, Magos Arabiam venisse. Quod si ex ea regione venerint, cum ab Ierosolymis, non plus quam octo dierum iter ea regio absit, potuerunt illi quidem percommodum Bethleemum pervenire, parare itineri quae opus essent, et Ierosolymis aliquantum temporis immorari, ut ostendit Petrus de Marca, Opusculo de Adventu Magorum a Baluzio edito, adhibitis praesertim iuxta Isaias oraculum velocissimis dromedariis, ut bene animadvertit Baronius. Eadem fundamenta ponit Lamy, in Harmon. Evang., lib. 1, cap. 11, § Ambigetur.

848 **XLI** Id etiam confirmatur auctoritate D. Angelini, qui serm. 39 de Tempore, qui quartus est Epiphaniae ita scribit: *Hoc enim die Magi Dominum adorasse perhibentur, stella scilicet apparente consummatis, et praecedente perducti. Eo quippe die, quo natus, illi stellam in oriente viderunt, et quem non indicaverit, agnoverunt. Ex illo igitur die ad hunc diem occurrerunt, Herodem Regem nuntio terruerunt, Iudaeis ex Prophetica Scriptura respondentibus, Bethleem Civitatem, ubi Dominus natus fuerat, invenerunt. Ad ipsum deinde Dominum*

*stella eadem ducente venerunt, demonstratum adoraverunt, aurum, thus et myrrham obtulerunt, alio itinere redierunt. Manifestatus est quidem, et die ipso Nativitatis suae Dominus Pastoribus ab Angelo admonitis, quo etiam die per stellam, et illis est longe in oriente mansurus; sed isto die ab eis est adoratus. Suscepit ergo devotissime istum diem celebrandum universa Ecclesia Gentium, quia et illi Magi quid iam fuerunt, nisi primitiae Gentium? Ubi observandum, diserte Augustinum dicere, stellam apparuisse quanda Christus natus est; tum a Magis visam; et nihilominus Magos Bethleemum venisse sexta Ianuarii die, quo ab Ecclesia Epiphaniae festum celebratur.*

SABBATO

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

IN IOANN. CAP. 2.

849 **R** die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae: et erat Mater Iesu ibi. Nec vacat mysterio, quod die tertio post ea, quae superior Evangelii sermo descriperat, nuptiae factae referuntur, sed tertio tempore saeculi Dominum ad adoptandam sibi Ecclesiam venisse designat. Primum quippe saeculi tempus ad legem, Patriarcharum exemplis: secundum sub lege, Prophetarum scriptis: tertium sub gratia, praeconiis Evangelistarum, quasi tertiae diei luce mundo refusit: in quo Dominus et Salvator noster pro redemptione generis humani in carne natus apparuit. Sed et hoc, quod in Cana Galilaeae, id est, in coelo transmigrations perpetrat, eadem nuptiae factae perhibentur, typice denuntiat, eos maxime gratia Christi dignos existere, qui zelo fervere pia devotionis, et aemulari charismata meliora, ac de vitis ad virtutes progredi bona operando, de terrenis ad aeterna norunt sperando et amando transmigrare. [Sequitur expositio quasi ad litteram concordans cum praecedenti ex eodem Ven. Bedae; et deinde dicitur:]

850 Venit autem hora, ut quid sibi et matri commune esset, ostenderet, cum eam, moriturus in cruce, discipulo virgini Virginem commendare curavit. Carnis namque infirma perpressus, matrem, de qua haec susceperat, pie cognitam, ei quem maxime diligebat discipulo commendavit: quam divina facturus, quasi incognitam se nosse dissimulat, quia hanc divinae nativitatis auctorem non esse cognoscit. Huius vero horae Dominus in cruce pendens, commemorans, dixit matri: *Mater, ecce filius tuus*: quasi dixisset: Ecce quod ex te sumpsi, modo ostenditur moriendo, quid est: quae tamen natura postmodum clarificanda erat in resurrectionis gloria.

851 *Dixit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis facite.* Sciebat quidem mater eius humanitatem Filii sui: licet hoc modo videtur negare, quod poscebatur, Mater tamen sciens pietatem Filii, quod negare nollet, quod petebatur, fiducialiter mandavit ministris, ut mandata implerent iubentis Filii. [Deinde sequitur ut supra, et addit:]

852 *Et dicit eis, inquit, Haurite munc, et ferte architrinclo, et tulerunt.* Architrinclo enim legisperitus illius temporis est, fortasse Nicodemus, vel Gamaliel, vel discipulus tunc eius Saulus, nunc autem magister totius Ecclesiae Paulus Apostolus: et dum talibus verbum Evangelii creditur, quae in littera legis et prophetiae latebat occultum, vinum utique architrinclo de aqua factum propinatur. Et bene in domo harum nuptiarum, quae Christi et Ecclesiae sacramenta figurarent, triclinium, id est tres ordines discumbentium altitudine distantes inesse describuntur: quia nimirum tres ordines fidelium sunt, quibus Ecclesia constat, coniugatorum videlicet, continentium, et doctorum. Primus ordo discumbentium ad nuptias sponsi coele-

stis, id est, in Ecclesia fide, et operatione gaudentium, gradus est coniugatorum fidelium: secundum continentium: supremus praedicatorum....

*Hoc fecit initium signorum Iesus in Caena Galilaeae, et manifestavit gloriam suam.* Hoc signo, quia ipse esset rex gloriae, et ideo sponsus Ecclesiae, qui ut homo communis veniret ad nuptias, sed quasi Dominus coeli et terrae, elementa prout voluisset, converteret. Pulchra autem rerum convenientia, qui initio signorum, quae immortalis iam per resurrectionem effectus, immortalis vitae studia sola seculantibus ostenderet, carnalem prius, et quasi insipidam mentem eorum, sapore scientiae coelestis imbuat, post vero refectionis gloriam, maiore eos spiritualis gratiae munere completurus.

#### Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

[DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 43-44.]

#### XI.III.

854 SUPERIORI argumento aliud etiam adiciunt et proferunt ex Matthaei Evangelio ductum, quo contendunt minime praesumptioni esse locum, qua fulciri videtur opinio nostra, Mysterium scilicet eo die, quo celebratur, contigisse. Matthaeus cap. 2, vers. 16, ait Herodem, ubi sensit se a Magis irrisum, ira abreptum iussisse trucidari omnes pueros qui erant in Bethlehém, et in omnibus finibus eius a bimatu et infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. Narrat idem Matthaeus, postquam discessissent Magi, apparuisse Angelum Domini in somnis Ioseph, eumque ita movisse: *Surgi, et accipe Puerum, et Matrem eius, et fugi in Aegyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi: futurum est enim, ut Herodes quaerat Puerum ad perdendum eum*; Iosephum una cum Beata Virgine Puerum in Aegyptum abduxisse: *Qui consurgens accepit Puerum et Matrem eius nocte, et recessit in Aegyptum.* Quam quidem Angeli apparitionem, et Iosephi fugam in Aegyptum, etsi Matthaeus cum Magorum discessu continuata narratione coniungat, certum tamen est nonnisi post quadraginta minimum dies a nato Domino contigisse, cum iuxta cap. 2 Lucae interiecta fuerit Praesentatio in Templo Ierosolymis, de qua nos alibi

sermonem habebimus, ut bene notat D. Augustinus De consens. Evangelist., lib. 2, cap. 5, n. 16, t. 3, append.: *Ac per hoc intelligitur Matthaeus, ubi ait somnio admonitos Magos ne redirent ad Herodem, et per aliam viam regressos in regionem suam, illic praetermissis quae Lucas narravit gesta circa Dominum in Templo, et dicta a Simone et Anna; ubi rursus Lucas praetermittens praefectionem in Aegyptum, quam narrat Matthaeus, tanquam continuam contextit regressionem ad Civitatem Nazareth.* Itaque S. Augustinus in eodem loco petitam ex duobus illis Evangelistis historiam scribere aggressus de Iesu Christi Nativitate et Infantia, primo loco ponit Magorum reditum, secundo Praesentationem in Templo post quadraginta dies a Christo nato, tertio Angeli Apparitionem, postremo fugam in Aegyptum; quae cum certissime gesta sint, quaerunt contrariae sententiae fautores, qui credi possit pueros a bimatu et infra Herodem iussisse interfici, qui, quo tempore stella illuxisset, a Magis intellexerat; proindeque ut se ab omni metu liberaret, satis fuisset bimestres, trimestresve pueros necari: quaerunt itidem, qui fieri poterit, ut Herodes, quem credere par est cognoscendi cupidissimum ubi natus fuisset Christus, animoque anxium de Magorum discessu statim factum esse certiores (Bethlehem enim haud longe distat ab Ierosolymis) tam longo post tempore infantes luserit trucidari. Neque enim eo confutere opus est, ut dicamus, quemadmodum supra diximus, ita Deo visum esse, ut, cum sibi placitum esse Magos per aliam viam in regionem suam reverti, nihil quidquam Herodi de nato puero nunciantes, illud pariter voluerit, Herodem minime quidem illico, sed aliquanto post de eorum discessu comperisse. Satis enim totam hanc rem evolveri, et explicari, si dicamus, non tredecim post diebus a Christo nato, sed post Purificationem in Templo, vel iuxta Florentinium, et Epiphaniam, Haer. 51, et iuxta Evangelium quoque Matthaei, a bimatu, duobus tribusve post annis Magos Bethlehemem venisse. Neque vero, quod Florentinus quoque observavit, multum temporis opus erat Herodi ad deliberandam caedem infantium; cum sexaginta annis ante, M. Cicerone et Antonio Coss. rumore orto, ac per urbem meo, *Regem pop. Rom. nataram parthirae, eo rumore Senatus commotus censuerit, ne quis (ut ait Suetonius in August. cap. 94) illo anno genitus educeretur.*

855 XLIV. Qui ad hunc modum disputant, ad Matthaei et Lucae Evangelia provocant. Atqui eorum argumentationis diluendae ratio ex ipsis Matthaei et Lucae Evangelii desumitur. Matthaeus enim cap. 2, vers. 1, scribit: *Cum ergo natus esset Ie-*

*sus in Bethlehém Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam.* Vox illa ecce indicat Magorum adventum Christi Nativitati valde proximum, ideoque tredecim post diebus contigisse: neque enim vox illa adhiberi solet rebus indicandis, quae longo post tempore contigerint, ut bene advertit Melchior Canus, de Loc. Theologic., lib. 11, cap. 5, in Responsione ad 5 argumentum, qui ut illius vocis vim, et potestatem explicet luculentius, locum affert Genesios ex cap. 24, vers. 15: *Necum intra se verba compeverat, ecce Rebecca egrediebatur.* Verum quidem est, discessum inter Magorum, et somnium quo monitus est Ioseph ut fugeret, mensem saltem interiectum fuisse, et nihilominus Matthaeum eandem vocem ecce adhibuisse: *Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit; ex quo arguunt adversarii non admodum voci illi esse fidendum, ut Magorum adventum cum Christi Nativitate continuo coniungamus.* Duo tamen consideranda sunt. Primum est, quod si vox ecce nihil obest, quominus inter Magorum adventum et Nativitatem Christi integer mensis intericiatur, certe tamen excludit duorum triumve annorum interitum. Alterum est, quod vox ecce commode adhibetur post intervallum non tredecim modo dierum, sed etiam sfidi mensis, et ad rem inopinatum demonstrandum bene redigitur, si certo constat, non plus eo temporis esse elapsam inter duo facta, quibus vox ecce interponitur, ut in allato exemplo inter Magorum adventum, et Angeli apparitionem; Lucas enim ostendit interea Praesentationem in Templo contigisse ac propterea unius circiter mensis spatium esse clapsum. Ubi vero minime pateat, totum id temporis effluxisse inter utraque rem gestam, ut inter Nativitatem et Magorum adorationem nihil est quod ostendat plus quam dies tredecim decurrisse, vox ecce naturalem suam vim potestatemque retinet indicandi rem inopinatum, nec multo post gestam ab ea re, quam paulo ante narrat historicus, et cum qua vocem ecce coniunxit.

#### DOMINICA III. POST EPIPHANIAM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.  
Matth. VIII, 1-13.

In illo tempore: Cum descendisset Iesus de monte, secutae sunt cum turbae multae:

1. et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.
2. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius.
4. Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris: sed